

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**


**Oratio, De Praecipuis Dei Beneficiis, A Deo Per VII  
Illustriss. Saxoniae Electores, eximiosque Dei Viros, D.  
Martinum Lutherum, & D. Philippum Melanchthonem, in  
Academiam Witeberg. collatis**

**Rhodoman, Lorenz**

**Witebergae, 1602**

**VD17 VD17 14:015341G**

[urn:nbn:de:bsz:31-67782](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-67782)



80A 8946 R

*Handwritten scribble*

\*KSIFCARNI\*  
KUNST

11.  
Rf  
ST

af. 39

7/134


Theol. 535

Histor.

3. 16.

6.

Histor.



Conspectus  
Dissertationum ad histo-  
riam Lutheri, refor-  
mationis, A. S. C. et  
Ecclesiae Luther.  
spectantium.

1. M. I. A. W. de Lutheri o-  
mnia in omnibus
2. Dauhawen Memoria Thau-  
massandi Lutheri.
3. Valentini Alberti, de virtute  
Kerira, Lutheri, Matthiae Fla-  
cii et Jacobi Andreae.
4. Scharfii, Joh. Lutherus re-  
formator.
5. C. T. Kangovis editio Pontifi-  
cis Rom. Leonis X. litterae in-  
dulgentiarum.
6. Danielis Graeneri in natalibus  
memoriam Lutheri oratio, qua-




12. Joh. Andr. Jarzii, pro lu-  
thero ex accinatione styli re-  
prehensio.
13. Pauli Jacobi Eckhardi Vindi-  
ciae J. Lutheri et J. Melanch-  
thonis ab infami peritura.
14. Martin. Lutheri aliquot nomi-  
na propria germanorum.
15. Nicol. Leptevien oratio histo-  
rica de initio, causis et pro-  
gressu C. A. et de vita ac  
laboribus, J. Mart. Lutheri, po-  
stremae aetatis Eliae.
16. Gottlieb Wernsdorffii, Augusla-  
nae confessionis historia.
17. Joh. Balthaf. Bernhold de fi-  
dei formulae praecipue A.  
C. iustitia et usu.
18. Alb. Georg. Schwartzii de styli  
A. Conf.

19. Io. Christ. Guesz filii de Au-  
gustana confessione Pabli dot-  
Sicii, medici Halensis cura grae-  
ce reddita.
20. Io. Wilhelm. Loeperi, de aucto-  
ritate A. C.
21. M. Henr. Christ. Crellii de di-  
vinae providentiae vestigiis  
in scripturae A. Conf. negotio.
22. Erasm. Parthol. Egerland  
de Regulari summi numeris  
circa A. C. providentia.
23. Andr. Westphalii de duabus  
Ponderatione pro studio servatae  
A. C. etc.
24. Acad. Francos. Latina se-  
culana in A. C.
25. Geshardi Fitzii, vindictae A. C.
26. etud. Vindictae Lutheranae.
27. M. Andr. Orti Caroli de Religio-  
ne Lutherana.

28. C. Trib. Kangis, ecclesiam  
lutheranam non schismaticam  
esse.
29. Leveni Lintrupii Anglia  
plantavit modis lutheranizans.
30. eiusd. sub Heib. Gottfr. Nassio  
Gallica multis modis luthera-  
nizans.
31. Joh. Kalckmanni prore-  
mationis lutheranae tuba de-  
perpetuo christianorum iubi-  
lata. Additus est catalogus  
doctorum et professorum theo-  
logiae in academia Witteber-  
gensi.

F r a n c.



Oratio,

DE PRÆCIPVIS

DEI BENEFICIIS, A DEO

PER VII ILLVSTRISS. SAXONIAE ELE-  
CTORES, eximiosque Dei Viros, D. MARTI-  
NUM LUTHERUM, & D. PHILIPPUM  
MELANCHTHONEM, in Academiam  
VViteberg. collatis;

Publicè habita VVitebergæ,

IN SOLENNI LXIV MAGISTRO-

*rum Creatione: cum post primi ab inauguratione seculi de-  
cursum Academia centesimum natalem suum  
Iubilea festiuitate celebraret,*



LAURENTIO RHODOMANO,

P. C. & Profess. Pub. atque Collegii Phi-  
losoph. tum per semestre hybernum  
DECANO.



VVITEBERGÆ,

Excusa Typis Cratonianis, Anno 1602.

qk

Man 85A8946 R

zV

*Illustrissimo Celsissimoque Principi  
ac Domino,*

DN. AVGVSTO,  
DVCI SAXONIAE, LAND-  
gravio Thuringiae, Marchioni Misniae &c.  
VViteberg. Acad. RECTORI Ma-  
gnificentissimo,  
Domino Suo Clementissimo.



*VM Celsitudini tuae, AVGVSTE Prin-  
ceps generosissime, idemque Rector Aca-  
demiae hujus Magnificentiss., Domine Cle-  
mentissime, Orationes, à cateris in festi-  
vitate Academiae Iubileae recitatas, dedi-  
cari, & quidem meritissime, viderem: hanc etiam à me  
scriptam, & Collegii Philosophici auctoritate, in solenni tum  
LXIV Magistrorum creatione habitam, ut eidem offer-  
rem, & decorum me admonebat, & officii ratio exigere vi-  
debatur. Nam post Saxoniae Electorem Serenissimum,  
DN. CHRISTIANVM II, germanum tuum exopta-  
tissimum, Tu panegyris hujus Iubileae, & sic Agonis et-  
jam Philosophici, moderator fuisti & Beatus. Vobis igitur,  
quicquid hinc <sup>in Dnibus</sup> & charisteriorum redit, jure opti-  
mo debetur. Nec dubitamus, si aliquid erudita gratæq;  
A 2 poste-*

posteritatis, per seculum dehinc proximum, & reliqua ad  
extremam Mundi catastrophem, durabit (duraturum  
autem pro nostra ad Deum per mediatorem Christum fi-  
fiducia, quantum ipse volet, speramus) quin Saxonica  
domus inchyssima laudes, & vestram in hac subin-  
de magis effulgescentem gloriam, nulla unquam inter  
mortales deletura sit oblivio. In immortalitate vero  
illa caelesti ac beata, radices, ad sempiternam virtutis ac be-  
nignitatis vestrae memoriam ac celebrationem progermi-  
nantes, jam agere cepit. Christus, Iehova & Redemptor, Il-  
lustrimam hanc Fratrum germanorum Triadem sospitet,  
fortunet, tueatur quam longissimum.

Teg<sup>s</sup>, AVGVSTE Princeps, in hoc studiorum vera  
sapientia & virtutis curriculo, strenue ac feliciter incoato,  
ita Spiritus sui numine dirigat, roboret atq<sup>s</sup> provehat, ut  
majorum tuorum exempla heroica, qua hic, licet tantum  
delineata, in conspectu habes, gnaviter imiteris, laudesq<sup>s</sup>  
ipsorum vel aequas: vel quod mitissimum caeli Numen an-  
nuat, etiam superes. Vale, piisq<sup>s</sup> his votis frueri. Viteberge,  
IV Idus Novembr. A. C. clb l. CII.

Illustris Celsit. T. devotus Cultor

LAVRENTIVS RHODOMANVS,  
Prof. P. & Phil. Fac. iam Decanus.



VBILÆVM ACADEMIÆ  
nostræ Festum, Illustrissime Prin-  
ceps AUGUSTE, & Rector Acad.  
Magnificentiss. Nobiliss. strenuq; Ele-  
ctoriæ Celsitudinis Legati, Magnifice  
Prorector, Generosi & inclyti Barones,  
Reverendi & Clariss. Proceres Academici, tum hospites  
tum incolæ; Nobiles etiam, doctissimi, ornatissimiq; viri,  
ac juvenes Studiosiss., quotquot in hoc Theatro amplif-  
simo congregati estis: Iubilæum inquam Academiæ Fe-  
stum, etiam hac Philosophici Actus solennitate celebrius  
reddi voluit Septemviri nostri serenissimi prudentia &  
benignitas: Cui post Deum, incolumitatem suam  
decoraque & commoda, quibus hodie fruitur, Aca-  
demia unice accepta refert. Ideo Promotio Can-  
didatorum Philosophiæ, quæ more antiquitus tradi-  
to ac recepto circa AEquinoctium peragi solet, ad hoc  
usq; tempus dilata fuit. Hanc verò unde melius, hoc  
est justius & decentius, auspicemur, quam gratæ erga De-  
um, & Nutritios Academiæ beneficentissimos, mentis  
testificatione? Tanta enim Dei bonitas in hanc Acade-  
miam à primordiis ejus usq; ad hodiernum diem se effu-  
dit, ut haud sciam, an ulla per totam Europam, in hoc  
quidem genere; cum Vitebergensi conferri mereatur.

Germaniæ certè Scholas si ad comparationis examen  
vocemus, rem ita se habere liquidissimè cognoscemus.  
Quæ enim, in hac communi nostrum omnium Patria  
GERMANIA, doctrinæ sinceræ cruditaq; officina est,  
quæ non veluti stella aliqua minor, ab hoc Sole, in omni  
disciplinarum genere, lumen se mutuam agnoscat &

fateatur ultro? Quod si aliqua existunt, quæ in Philosophicis Artibus peculiarem & propriam quandam sibi laudem vendicent: in Theologica tamen disciplina, quicquid integritatis restitutum habent, id Academia nostræ, tanquam Theologiæ instauratrici, meritissimè se debere, protestantur. In hoc equidem *προσηµατι* & prerogativa Academia, tantus beneficiorum Dei cumulus est repositus, ut *ἀγαθὸν ἀγαθὸν* verissimè hanc nominemus. Tot verò & tam inæstimabilia Deus beneficia Academia huic elargitus est per Illustriss. Saxonix Ducis & Electores. Hos bonitatis suæ *ὕπεργούς* & ministros esse, cum divinis illis viris, per quos religionis sinceritatem, & antiquum Philosophiæ decus, instauravit, & per huius seculi decursum longè lateq; propagavit, summo rerum moderatori placuit. His ergo charisteria nos exsolvere, cum alio, tum hoc præsertim tempore, pietas monet, requirit, deposcit. At cum præter laudes & vota nihil repensare habeamus aliud, hoc saltem quod in facultate nostra est, unanimi sensu & consona voce, Deo summo benefactori, Heroibusque præclare meritis, retribuamus: Illi nimirum vota, his meritorum præconia & celebrationem: utrumque sanè ex animo grato profectum.

710. Quapropter tibi, cœlestis & æterne pater, una cum filio tuo D. N. IESU CHRISTO, & Spiritu sancto, ejusdem divinitatis, omnipotentix, maiestatis, gloriæ & æternitatis consortibus, gratias, quæ animo concipi possunt, maximas agimus & habemus, pro hoc inarrabili beneficio, quod tibi in genere humano, per vocem Evangelij & administrationem Sacramentorum, Ecclesiam colligis & conservas: quæ te verè cognoscat, recteq; colat, nosq; membra ejus facis: ut gloriæ ac beatitudinis sempiternæ in Cœlo participes reddamur, quod perpetuo benignas illi donas Nutritores ac Patros  
nos;

nos: à quibus Scholæ, Ecclesiæ tuæ plantaria, institu-  
tur, foveantur, protegantur: quod Apostolos. Evangeli-  
stas, pastores & doctores idoneos & salutare mittis, hisq;  
scribas & Prophetas, hoc est, Theologiæ interpretes, &  
doctrinæ eruditæ professores, adiungis: quod immensa  
bonitate hanc alteram quasi Bethlehem præ cunctis terra-  
rum locis tibi delegisti, ubi Filius tuus, servator noster,  
Evangelij fasciis involutus, denuo nasceretur: & unde  
vera Religio, cum intaminata verbi tui doctrina, Lin-  
guarumq; & Artium studiis, tanquam rivi, ex limpidis-  
simis Israël & Musarum fontibus, in totam Europam  
dimanarent. Quod beneficium tantæ æstimationis est,  
ut nulla Gratiarum actione, in hoc mortali ævo, vel mi-  
nimam eius partem assequi valeamus. Fac benignissi-  
me Deus, ac pater omnis misericordiæ, ut perpetuo, ad  
gloriosam usq; apparitionem filij tui, nos cum posteritate  
illo fruamur: & tuam inde gloriam illustremus: Ecclesiæ-  
que tuæ propagationem, pro suo quisque modulo, strenuè  
ac fructuosè adjuvemus.

...Votis his Deo nuncupatis, iam longiore præfatione  
omissa, ad institutum nos conferemus.

Dispicientibus igitur nobis, quid huic tempori  
& loco, ipsiq; officio, quod, in præsentia gerimus,  
conveniret, hoc potissimum occurrit, ut bona, quæ  
per hoc seculum Academiæ nostræ Deus præstitit, recen-  
seamus. Hac equidem prædicatione fiet, ut merita Dei,  
in nos per illustrissima exquisitaque organa stupendum in  
modū collocata, examine accuratiore pensiculemus, gra-  
tiq; animi studium intentiore consideratione in nobis  
excitemus.

At quia ingens hinc rerum copia offertur, latiusq;  
sefe extendit, quam temporis angustia capiat: uberiore  
expositione aliis relicta, strictius & generatim omnia pro-  
pone-

275. ponemus. Commodior autem ordo non occurit, quam  
ut primum beneficia Dei per illustris. Saxoniae Principes  
VII Viros, ab initio huc usque exhibita, percurram: Dein-  
de quid per electissima divinae misericordiae σκέυη & in-  
strumenta Lutherum & Philippum; reipub. Christianae  
sit praestitum, attexam. Vos Auditores benignissimi,  
rogatos volo etiam atque etiam, ut animos huc benevo-  
los, auresque vacuas, attemperare interim ne dedigne-  
mini. Sunt quidem in hac Oratione mea, quae heri co-  
piosissimè à Primario Academiae nostrae Profess. Rever.  
& Clariss. D. D. HUNTO explicari, temporis occasio, &  
prudens instituti ratio iussit. Sunt quae divina, ΤΑΥΒ  
ΜΑΝΙ Poësis, melius quam vel ipse Maro, decantavit.  
Ατδιστὰ καλὰ (Bis quae pulcra sunt) juventuti Scholasti-  
ca dici, non utile est tantum, sed & necessarium. Laudes e-  
quidem Principum, tam preclarè de reipub. Christi me-  
ritorum, quis uno sermonis genere comprehendendas  
putet? Nonne hinc tam solutae orationis scriptori quam li-  
gatae, & vicissim tam Poetae quam Oratori, qua potest  
fieri contentione elaborandum? Hinc Theologus, hinc  
Philosophus, hinc Politicus, Hinc quicumque Logodactylus  
esse potest, desudet. Verum ad rem ipsam.

27  
29  
Iam omnis seculorum experientia testatur, hunc per-  
petuum esse Dei morem, ut sub insignes reipub. & Ec-  
clesiae mutationes, in salutem generis humani redunda-  
turas, Principes excitet Heroica corporis animique vir-  
tute excellentes, idoneisque administris instruat, per quos  
immutabilia providentiae suae decreta tãto illustrius exse-  
quatur. Cum Asiam olim novis legibus & institutis reformare  
constituisset, Heroico Alexandri M. robore & im-  
petu, Procerumque illi adiutorum dexteritate, ad hoc  
utebatur. Cumque Israëlitae ex servitute omnium gra-  
vissi-

vissima tandem liberaturus, & in promissas quondam pactasq; illorum patribus sedes introducturus esset, Mosem tantæ rei destinavit, cumq; donis, vulgarem humanæ imbecillitatis captum longè excedentibus, sapientia, auctoritate, successuq; rerum gerendarum singulari, exornavit, utq; tantæ moli par esset, Aaronem illi fratrem, eloquentia & sanctitate conspicuum, ut fidelissimum *σωφρονης*, attribuit. In partem administrationis postea etiam LXXII virum senatus accessit.

Ita cum Deus Opt. Max. Germaniam, & præcipuè has Saxonæ terras, Pontificiæ servitutis jugo eximere, & perpetuò deinceps vindicatam esse vellet, heroës ad hoc efficiendum aptos, pro inexhausta sua benignitate, delegit, eosq; tum administris, tum aliis adminiculis convenientibus & necessariis instruxit. Hi fuerunt, & adhuc sunt, utq; perpetuo sint, ex animo precamur, serenissimi ac potentissimi Saxonæ Duces, & creandis Romanis Imperatoribus Septemviri. Nam his tanquam militiæ divinæ imperatoribus, Et Martino Luthero, Philippoq; Melanchthoni, ut vexilliferis & antesignanis, cæterisque illorum collegis & successoribus, eandem militiam fideliter ac strenuè obeuntibus, secundum Deum, omnis boni auctorem, hoc cœleste bonum uticè debemus; quod Ecclesiæ Christi, doctrinæ puritas & religionis integritas: studii literarum, adeoq; totius Philosophiæ disciplinis, pristinus germanulque cultus: Germaniæ etiam sua libertas, excusso Antichristi Romani jugo, & depulsis Idololatriæ inveteratæ tenebris, Barbariæq; diuturnæ inquinamenti, postliminio redière, & adhuc conservantur. Ita sanè, ut Viteberga nostra cum beatissimis, quæ unquam in orbe terrarum eminuerunt, urbibus felicitate ac gloria certare non vereatur.

Quis Princeps huius beneficii exstiterit, quæris? **FRIDERICVS** ille sapiens, Friderici secundi ex F. Ernesto Nepos. Friderici I. pronepos. Is & laudabili Principum aliorum, qui ante ipsum in Germania Academiæ condiderant, exemplo

B

inflam-

*Fridericus  
secundus  
Nepos  
Friderici  
I. pronepos*

inflammatus, & cōmuni Septemvirū decreto, quod præcun-  
te Imperatore Maximiliano I. in comitiis, ad Vangionum ur-  
bem, A. C. cōcccc XCV celebratis, fecerant, ut unusquis-  
que Elector in sua ditione Academiam bene constitutam ha-  
beret, hoc ergo instigatus, maximè verò publicæ utilitatis ra-  
tione impulsus; ad novæ Academiæ in suo territorio constitu-  
tionem animum adiecit. Neque enim religionis sincerita-  
tem, neque imperii decus & salutem, absque linguarum &  
Artium disciplina consistere posse, Vir sapientissimus videbat.

In proposito autem valdè cum confirmavit ERNESTVS fra-  
ter, Archiepiscopus Magdeburg. & Germaniæ primas; jam  
pridem à Raimundo Cardinali ad tale consilium Friderico  
subjiciendum incitatus, Nec deerant monita & hortationes  
sapientissimorum tunc hominum, in primis Iohannis Staupii,  
Augustinianorū in Germania cœnobiorum supremi inspe-  
ctoris; Itemque Martini Polichii Mellerstadii, quos honoris  
causa præ cæteris nominamus. Mellerstadius equidem, cum  
de loco disputaretur, aliique alium suaderent, Vitebergam  
omnibus cæteris præferendam censuit & hoc argumento per-  
vicit: Quod Princeps ad gratiam huic loco referendā obstrictus  
sit, quia majores ejus præcipuam ex eo dignitatem consecuti  
sint: addiditque, Academiam hinc conditam sua læe eunctas  
in Germania cæteras obscuraturam. Amplexus & consili-  
um & omen Princeps, Vitebergam Deo & Musis illico con-  
secravit, Academiamque, ex sacerdotiis Canonicorum huius  
oppidi largè dotatam, XIX Octobris die, qui Lucæ Evange-  
listæ sacer est, magnificè inauguravit. Primusque tunc Re-  
ctor creatus est, quem nominavimus paulo antè, Polichius,  
lux Mundi appellatus: quod trium Facultatum Doctor esset.  
Inter alias tum introductionis ceremonias, concionem in hoc  
Arcis templo, (quod & ipsum FRIDERICI sapientis opus  
& monumentum est) Doctor Iohannes Eleccus, cœnobii Stein-  
laus-igenis ad Muldam Prior, habebat. Ubi dum piis novam  
Scholam

Vitebergæ  
Scholæ

Scholam votis inaugurat, ex hoc candido monte ( inquit, ad  
Etymon urbis alludens ) sapientia & vita flumina in orbem u-  
niversum redundabunt.

Hæc initia sunt Academiae, & fundamenta aedificii tam  
præclari: quod paulatim ad eam gloriae sublimitatem se extu-  
lit, ut fastigio coelum attingat; eamque benefactorum mensu-  
ram explevit, ut fructus illorum in totum orbem. ( non dicam  
amplius Europæum vel Christianum, sed illum etiam remotio-  
rem, Asiaticum puta & Africanum, imò & Americanum, quo-  
cunque videlicet generis humani societas pertingit, & ubi-  
cunque aliquam Christi Servatoris nostri Ecclesiam esse aut  
fore, ( spes est ) exuberent, Deo quæ nostro lucrum gratissimum  
jamdudum fecerint, hodie faciant, & porro, quæ sementis di-  
vinæ profeminatrix vis est, citra impedimentum, vel tacito  
quodam modo, sint facturi.

Proximum à foundationis opere studium Principis erat,  
ut viros, qui cum fructu juventutis, & laude Academiae, stu-  
diis præessent, undecunque delectos evocaret. Et primos  
sanè Professores partim Lipsia, partim Tubinga ( ad cuius  
Scholæ formam leges etiam compositæ fuere ) suppeditavit.  
Postea etiam alij aliunde, sed non nisi in omni doctrinarum  
genere præcellentes, accersiti venerunt.

Inter quos, ut Sol & Luna inter sidera eminent, Lu-  
therus & Melancthon præcelluerunt. Enimvero Lutherum  
statim ab initio in magno habebat precio. Nam ut Theologiae  
Doctor vel in viris crearetur, non tantum auctoritate sua jus-  
suque effecit, sed ad promotionem sumtus etiam contulit. Dein-  
de cum Evangelij doctrinam repurgare cepisset, jamque totum  
Antichristi regnum fraudes ac vires contra illum exsereret: non  
desiit virum Dei, ab omnibus tamen desertum; non pro-  
didit toties & tam improbè ab hostibus expertum; sed ut semel  
complecti cum ceperat, ita ad extremum usque hælitum dile-  
xit ac fovit; contraque Anathematis pontificii & Imperatoriae

pro-

B

proscriptionis fulmen constanter protexit ac defendit. Quod igitur condita, & munificè dotata fuit initio hæc Academia, Divo huic FRIDERICO acceptum est ferendum. Ideo non minorem grati animi cultum huic suo conditori Viteberga debet, quam Athenæ olim Thæſco, aut Roma suo Romulo; quos heroicis post obitum honoribus religiosè venerati sunt. Imò tanto magis huic devincti sumus, quanto amplioribus nos, & totam Christi Ecclesiam, meritis affecit.

21. Nunc à primo foundationis beneficio ad secundum transimus: quod felicissima Scholæ incrementa & confirmationem habet. Cum enim ex mortalium consortio, ad beatissimam Dei in cælo consuetudinem, translatus esset optimus Academiae fundator: serenissimus frater eius IOANNES, tamen Academiae huius inclytæ accuratorem, quam cæteras gubernationis partes, successit. Nam ante omnia suaviter operam dedit, ut etiam deinceps forent, qui omni solertia & fidelitate prælectiones Academiae & exercitationes obirent, & disciplinam Scholasticam administrarent. Professores itaq; doctissimos liberalibus stipendiis conduxit, conductosq; benevolentia & honore eximio comprehendit. In primis verò benignitas eius erga Lutherum & Melanchthonem insigniter eluxit, Deusque intra breve illud septennii spacium, quo serum potiri in hoc Septemvirali imperio illi per fata licuit, tam felici successu Principis conatum fortunavit, ut ex herbescente adhuc segete, ad florem pulcherrimum Academia perveniret, & exoptatissimæ frugis maturitatem consequeretur. Nam Vitebergæ disciplinarum omnium studia, Melanchthonis & *swegyon* assidua & indefessa operâ, mirificè effloruerunt. Theologiæ autem reformatæ lux tanto cum splendore effulsit, ut totam ferme Europam radiis suis illustraret. Tantum potuit effecitq; publica & solennis Ecclesiarum Saxonicarum Confessio, quam Carolo quinto Imperatori

Confess. Aug. a. 1530.

ratori, coram totius Imperij Senatu, Ioannes Elector, ordinesq; Imperij Germanici cum eo conjuncti, Augustæ exhibuerunt.

Scabat ibi Confessor hic egregius, cum paucis quibusdam eidem confessioni addictis, à reliqua mortalium turba separatus: & pro vera Christi doctrina, per Lutherum instaurata, Pontificie excommunicationis & proscriptionis Imperatorie terrorem & pericula, totiusque Mundi odium, & Daemonum tartariorum fremitum, animo prorsus invito sustinebat: cum Davide idem hoc cordi suo occinens: In Domino speravi; non timebo, quid faciat mihi homo. Vnde & Constanti titulum meritisimè reportavit.

Si quis ergo hanc Academiae VVitebergensis <sup>à p. p.</sup> fuisse dixerit, nequaquam, meo quidem iudicio, errabit. Iam quantum sit hoc secundum Dei beneficium, in Acad. VViteberg. tunc effusum; veritatem Evangelicam, in illa pridem revelatam, publica Nutritij Confessione toti orbi demonstrari, invitisq; adversarijs, ac contra infrendente universo Mundo, palmam obtinere, quæ nulla temporis longinquitate emarcescat, omnibus verè pijs & Orthodoxis æstimandum relinquo.

Caterum ut illustrissimus hic Princeps ad maturitatem Academiam hanc provexit: ita IOAN. FRIDERICVS, post obitum parentis, non in vigore tantum illam conservavit: sed nihil omnium prætermisit, quæ ad emolumenta detoraq; ejus conducere viderentur. Namq; Academiam etiam ipse favore paterno complexus est, & quam benignissimè fovit. Et quidem statim, sub primum gubernationis ingressum, magnam pecuniæ vim erogavit: qua & salaria professoribus adaugeret, numerumq; docentium ampliaret. Mox ad ampliora eadem munificentia via grassans, pagos unâ cum redditibus & jurisdictione, qui Canonicorum hætenus peculium fuerant, ab antecessoribus illis attributi, Academiae dicavit:

nt perpetuum illa quasi patrimonium deinceps haberet. Atque ita Fiscum in Academia foundationis constituit. Fundatoris igitur laudatissimi titulum hoc immortali beneficio ad omnem gratæ posteritatis memoriam, sibi comparavit. Bibliothecam præterea sumptibus planè regijs instituit, & nova identidem librorum accessione locupletavit. Quid? Quod Doctorem aliquando promotionem illustri præsentia sua condecorare, illustratioremq; facere, non est dedignatus: ut hoc etiam pacto affectionem suam, benigni favoris plenissimam, erga literarum Artiumq; studia & gradus Scholasticos, eo luculentius testatam redderet. Repræsentavit autem hoc ipso raræ benignitatis in Principe erga ordinem scholasticum factò potentissimi Romanorum Imperatoris Pompeij Magni exemplum. Qui cum à bello Mithridatico rediret, tertium de tertia Orbis parte, cumq; omnium clarissimum in patria triumphum acturus, Rhodum diver-  
tit: ibique omnes liberalium Artium professores, audire pro summo habuit oblectamento. Sed cum morbo tum detineretur Pofidonius, Stoicæ disciplinæ Professor longè celeberr. agrotum domi visitare in lectulo non dubitavit. Id quod Septemvir hic noster non minori cum admiratione ac laude præstitit, cum in Smalchaldensi conventu Lutherum periculose decumbentem non invisit modo, sed his etiam verbis consolatus est. Si omnino ita visum Deo foret, (quod tamen non speret) ut ex vira mortali ad immortalē vocaretur: ne de uxore ac liberis sollicitus esset. Illam enim & hos pro suis se habiturum. O pectus piæ humanitatis, & humanæ pietatis verè plenum! O Principem Deo ac Musis exemplo singulari addictum! Fuit enim is eum omnis doctrinæ liberalis, tum Theologiæ, admirator & patronus singularis. Lutherum certè ut patrem in precio & veneratione habuit. Favorisq; eius & beneficentiæ in Ecclesiis & Scholis documenta eximia ad omnem posteritatem, nunquam inter moritura  
exstant.

exstant. Longeq; maiora accumulaturus erat, si per hostium  
infensissimorum perpetuas machinationes, in atrox tandem  
bellum erumpentes, licuisset. Dum enim pro focus & aris pro-  
pugnat heros magnanimus & invictus, Deo pro inscrutabili  
providentiæ suæ consilio id permittente, succumbit. Sed tan-  
tum aberat, ut divina tunc veritas succumberet, ut etiam mul-  
tò sublimius, palmæ instar, contra onus validius premens in-  
surgens, sese extolleret, clariusque cluesceret.

Hoc igitur tertium Dei beneficium est Academiæ nostræ  
tributum, quòd per Ioan. Fridericum Electorem maiores ad  
amplificationem sui atq; illustrationem fecit progressus.

Conferemus nos inde ad quartum. Quamquam enim velut  
in naufragio, una cum nauclero suo iacturam fecerat insignem  
Acad. VViteberg, imò tota res Christi publica: iamq; actum  
videbatur de religione sincera, studiisq; doctrinarum, & peri-  
culum erat, ne pro luce Evangelij Pontificiæ deinceps tenebræ,  
& pro disciplinarum cultu nitidissimo, squalida Barbariæ strig-  
ligo, & inertia Monachorum, aut Sophistarum fraudes, de-  
novo invalescerent: alij tamen ex eadem Saxoniorum Ele-  
ctorum familia exorti sunt Heroes, Deo afflictum Ecclesiæ &  
Scholæ huius statum benignè respiciente, qui res ferme per-  
ditas non modo repararent, sed illatas etiam clades maio-  
ribus emolumentis compensarent. *MAVRITIUS* enim  
Dux Saxonie, invictus ille heros; in quem verissimè qua-  
drat Homericum illud: *Ἄμφοτερον βασιλεύς ἄγαθος, κρατερός ἰ  
αἰχμητής*: Rex bonus in civis, fortis bellator in hostem; Is,  
inquam, fatali quadam, sed tamen salutari harum regionum  
Ecclesiis conversione, Septemviratum præter ditionem suam  
adeptus, omnia in pristinum vindicavit. Hic disiectas per totam  
ferè Germaniam navis laceratæ tabulas recollegit, & revoca-  
tis maturè Professoribus, in primis Melanchthone, agmè Scho-  
lasticorum denuo coegit; Stipendia iterum constituit auxitq;  
operas distribuit, & reliqua sic ordinavit omnia, ut nihil quod  
ad priorem *εὐκαταστασίαν* & felicitatem pertineret, desideraretur.

Ergo

» Ergo quod Acad. Viteberg. funesto Germaniæ bello dissipata, in unum denuo corpus coagmentata est atque instaurata, id totum Mauritio Electori vendicetur. Hic noster Camillus est, qui hostes à capitolio obsessio fortiter depulit; & Quirites huc illuc dispersos in patriam miserè vastatam reduxit. Hic Macabrus noster est, qui decusso à popularium eervice Syrorum iugo, patriæ libertatem armis vindicibus asseruit, & templum Dei, ab impijs & superstitionis gentibus profanatum, reducto sincero Dei cultu, expiavit, pacemque genti suæ florentissimam, toti que imperio decus integrum, restituit. Per hunc enim antiqua Germaniæ libertas vindicata: per hunc aurea religionis pax constituta: per hunc cœlesti doctrinæ sinceritas, & Scholis tranquillitas studiorum reuera est, & ad hoc usque tempus durat. Deo immortalis, pro tantis beneficiis, sit gloria immortalis.

v. Instaurationis itaque beneficium, ab Electore quarto præstitum, hoc est. Sequuntur cætera, in amplificatione ac conservatione Academiæ posita, & si non pluri, certè non minoris æstimanda. Cum enim Mauritium heroicè defunctum AVGVSTVS frater in imperio excepisset, inter præcipuas suæ gubernationis curas hanc esse voluit, ut Academia Viteberg. non minus quam Lipsensis, optima conditione foret. Immensam ergo pecuniæ vim, tum in alios Academiæ usus, tum in professorum sustentationem (Nam de incredibili ejus in alios munificentia hic dicere nihil attinet) de suo erogavit. Professorum enim & alumnorum stipendia numerumque augmentavit, & nova Academiæ ædificia eduxit, veteraque exornavit. Ad privilegia insuper immunitates & commoda docentium & discipulorum in hac Schola, privatim & publicè eam fecit accessionem, ut fundatorem ipsum & antecessores longo post se intervallo eum reliquisse, fatendum sit.

7 Sed hæc quamvis maxima, exigua tamen censerì possunt, si cum illis conferantur, quæ pro vindicanda & conservanda ac peregit. Theologiæ sinceritate heros iste suscepit.

Abſque

Absque huius enim paterna sollicitudine ac vigilantia fuisset, pro Lutherana h. e. Apostolica Theologia, novum & omnino discrepans ab Orthodoxæ Ecclesiæ consensu, doctrinæ genus, hanc Acad. innumerasque Ecclesias occupasset. Nam furtim præcipua doctrinæ Christianæ capita, maxime autem Caput de Baptismate ac Cæna Domini, deque ipsa Christi *Calu- nias* τῶν θεῶν ὡς persona, sædissimè depravari ceperunt.

Quod ubi animadvertit Princeps religiosiss., omni contentione pestem hanc ut averruncaret, operam dedit. Expulsis igitur corruptelarum magistris, qui iam pridem sub titulo defensorum Philippi, ceu sub Orci galea, tecti latuerant, & odioso Elacianorum nomine illos, qui fabricas ipsorum arguebant, Electori invisos, multisq; bonis suspectos, fecerant. His ergo remotis, sincerisq; in loca illorum doctoribus susceptis, verbi cœlestis integritatem, & verum utriusq; Sacramenti intellectum & usum, huic Scholæ Ecclesiisq; Saxonicis restituit. At cum varia adhuc dissidia totius Germaniæ Ecclesias, per Lutherum reformatas, perturbarent, pacemq; convellerent, ut solidis innixam fundamentis pacem repararet, & unam Ecclesiæ confessionem vicissim adunaret: non auctor tantum & suaser, verum etiam promotor & confirmator exstitit Formulæ eius, qua ad scripturæ cœlestis normam; tria Ecclesiæ Catholicæ Symbola; Confessionem Augustanam; Smalchaldicos Articulos; & Catecheses Lutheri; dogmata controversa examinantur, & quicquid ab hac cœlesti harmonia discrepat, repudiatur. Sic uno velut ictu Hydræ illius Lernææ capita, idemtidem, & quidem duplo maiore numero renascentia, Hercules noster præcidit, stabilisq; ita concordia Ecclesijs restituta est.

En quintum Academiæ nostræ bonum, quod Apostolicæ doctrinæ, per Lutherum restitutæ puritas, auspicio, ductu & promotione Augusti septemviri in pristinum vindicata est.

Patri Augusto non tantum in terrarum & imperii; sed etiam virtutum hæreditatem amplissimam successit lauda-

26.  
tissimæ memoriæ *CHRISTIANVS* Elector. Is cum à prima ætate, tam ad sinceram religionem, quam ad egregies Celsissimoque Principe dignos vitæ politicæ mores adsuæfactus esset, quam primum gubernationis Electoriæ sceptrum accepit, in hoc incumbere cœpit unicè, ut cum cæteris omnibus, Ecclesiæ suarum regionum, & præcipuè Scholæ, quam optimè constitueretur, & administrarentur quam rectissimè. Ideo statim etiam hanc Academiam, non minus quam alteram, singulari favore ac cura prosequi cepit, eaque omnia, quæ ad decorandam & provehendam illam pertinere videntur, tam accuratè providit ac liberaliter exhibuit, ut quod ad ipsum quidem attinet, nihil quicquam. hîc desiderari queat. Mirificam erga Acad. hanc eius propensionem, & munificentiam regia liberalitate dignam, ut luculentum utriusque monumentum, testatur Collegium Augusti, à Divo quidem patre impensis exstructum maximis, ab ipso verò Academia donatum, perpetuisque Musarum usibus consecratum.

Quod autem Poëtarum ille, Romanorum Coryphæus, de juniore Marcello, Augusti ex sorore Octavia nepote, canit, Ostendent terris hunc tantum fata, nec ultra Esse sinent: hoc ad Illustriss. heroëm nostrum verissimè accommodari potest. Ingenium sane illi divinum; Spiritus planè Heroici; Vires animi & corporis firmissimæ; Eximia in consilijs prudentia; & mirifica in negociis dexteritas; Rerum insuper gerendarum nervi: Quæ omnia singulare aliquod emolumentum, quo supra aliorum merita se heros iste multò sublimius extulisset, Reipub. Christianæ spondebant. At fatum nimis præmatuum, in primo quasi telæ exorsu, spes & Res adeo præclaras subito abruptit.

Quod autem de Afa, rege Iudæorum sanctissimo, literæ sacræ produnt, Tametsi cor eius perfectum erat (ut scriptura loquitur) cunctis vitæ diebus; Excelsa tamen quadam derelicta esse: Cum tamen sincerum Dei cultum, in gente sua, ubique instaurasset; Id hîc etiam accidit. Etsi quantum humana dili-

diligentia effici potuit, eam doctrinae puritatem, & religioni  
pacem, Dei auxilio, per idonea huic operi organa, Augustus  
Electoꝝ jam pridem recuperarat, procul facessere iussis, qui di-  
vina huic norma se attemperare nolbant: remansere tamen,  
qui post ceterorum fugam partim veram, partim simulatam,  
Sinoniis artibus equum illum Speciosum in urbem, ac tantum  
non in arcem, recipiendum suaderent. Unde certè Ilias ma-  
lorum subsecuta fuisset, nisi beneficio Dei singulari, fraudibus  
insidiisque his detectis & elisis, veritas palmam obtinens glo-  
riosum de clandestinis hostibus triumphum egisset.

Illusterrimus enim Saxoniae dux FRIDERICUS VVIL-  
HELMUS, IOHANNIS FRIDERICI ex IOHAN. VVILHELMO  
Nepos, Septemviratus huius Administrator & Tutor fideliss.,  
cuius memoria in benedictione aeterna, pro avitae pietatis Zelo,  
severissimam in Dominici gregis lupos animadversionem in-  
stituit, & per accuratissimam utriusque Academiae & Ecclesia-  
rum visitationem, enormia doctrinae rituumque vitia &  
scandala correxit, & procul furibus ac latronibus ex ovili  
Christi fugatis, doctrinae candorem pristinum, & Sacris mysteri-  
is approbatos jam olim receptosque ritus, postliminio reduxit,  
aureamque Ecclesiae pacem & concordiam stabilivit. Pro quo  
certamine tam laudabiliter & heroicè peracto, nunc gloriae co-  
ronam non marcescentem, à summo Pietatis Brabeuta imposi-  
tam, gestat, perpetuamque & immortalem benefactorum me-  
moriā in Ecclesia Sanctorum relinquit.

Hoc igitur Sextum est Dei beneficium, quod per Illu-  
striss. Saxoniae Principes Septemviros, in hanc Academiam, to-  
tumque simul Rempub. Electoralem redundavit. Iam Septi-  
mus nobis thesaurus adest, Dn. CHRISTIANUS II. Elector,  
cum fratribus cariss. Dn. IOHAN. GEORGIO, & Dn. AU-  
GUSTO: quorum sub tutela & praesidio Academia nostra  
cum terris circumiacentibus, Halcyonia agit tranquillissima, &  
prosperitatem eximiam deinceps à Deo certa fiducia sibi pol-  
licetur.

Singulari autem divinæ bonitatis dispensatione factum est, ut, quo tempore Sereniss. Elector CHRISTIANVS II. gubernacula huius imperii capesseret, eodem Academia huius scepra Fratri AUGUSTO traderentur: Cuius magistratum felicissimum esse hæcenus, experimur. Quam autem affectionem erga Reipub. totius commoda, & Academia nostræ studia gerat optimus Elector, cum aliæ inter imperii sui primordia actiones, tum acris per visitationem generalem censura, in Ecclesias & Scholas harum regionū per hanc annum instituta, demonstrant. Christi enim præceptum (quo Cæsari quæ Cæsaris sunt, & Deo quæ Dei sunt, dare iubet) religiosa observantia & veracitate secutus, non ad obedientiam solum erga se, ut ordinarium magistratum, solenni iuramento subditos adstrinxit: sed etiam Scholarum & Ecclesiarum doctores, omnesque ministeriis Celsitudinis suæ addictos, ad publicam fidei & religionis orthodoxæ confessionem iurejurando confirmandam, adiegit. Vnde illum puritatis Evangelicæ acerrimum *ὄν* *ἑσῶ* fore propugnatorem, contra omnes hæreseis & subirrepentes corruptelas, non dubia unusquisq; nostrum fiducia sibi persuadet.

Huc accedit, quod Iubilæum Academia Viteberg. festum, quod in centesimum eius natalem incidit, maiore cum solennitate celebrari iussit. Et Autumnalem Candidatorum Philosophiæ promotionem, in hanc usque diem prorogatā, quam frequentissimam & ornatiss. esse voluit: Quæ ut tanto magnificentius perageretur, ex munificentia suæ thesauro liberali eam convivio donat, instruit, cohonestat. A summo igitur hoc patrono id proficiscitur, quod promovendorum hodie numerus ad LXIV exerevit: quæ nulla per totum istud seculum promotio; una duntaxat excepta, hæcenus excessit. Huius regie munificentia jam ad summum Philosophiæ gradum evehendi iuvenes atq; viri debent, quod nihil ad Convivij Magistralis celebrationem impendere illos necessum sit: Cum alioqui, sic autis

Atis rerum penè omnium preciiis, sumtus non exiguos in tantam solennitatem facere honos ipsorum postulasset. Annon hæc, Auditores, singularem erga Academiam, & præcipuè facultatem philosophicam, huiusque studia & exercitationes, propensionem & benignitatem declarant? An non dignum hoc est, quod perpetuis gratianimi studiis veneremur & prædicemus? Dij tibi, Dij referant! O Clementis. Princeps: Non opis est nostræ, tantas exsolvere grates: Dij tibi, Dij referant.

Postquam ergo beneficia Dei in Academiam hanc, per Illustriss. ordine nutritios VII Saxonix Electores, collocata, generatim recensui: Superest, ut ad alterum me genus convertam, & quid per eximios Dei viros, LUTHERVM & MELANCHTHONEM, sit præstitum, quam brevissimè commemorem. Hi enim dum viri à Deo præcunctis alijs excitati sunt, ut id efficerent, quod nulli Germanorum, in hoc equidem genere, antehac præstiterunt, nec unquã deinceps, quantula quantula posteritas fuerit, præstabant: dum Lutherus verbi divini sinceritatem diu sepultam, velut à mortuis excitavit, & Theologiam, sædissimè contaminatam, repurgavit: Melanchthon Linguarum & Artium, imo totius Philosophix studia ita excoluit, perpolivit, & propagavit, ut Viteberga, unde hæc in orbem Christianum longe diffusa & profeminata sunt, A Egyptum, Athenas, Romanque, æquiparare hoc felicitatis genere, aut etiam superare, queat.

Iam olim quidè cum Germanix populi ad fidem Christi converterentur, verbi divini lux accensa fuerat. Et mediocrem Theologix puritatem Ecclesix Germanix aliquamdiu retinebant: donec superstitione & idololatria, subinde magis atque magis ingravescente, Legis & Evangelij doctrina paulatim obscurata fuit, eoque tandem perventum, ut nulla Theologix pars aliquid integri sanique haberet. Pro Bibliis Aristoteles, pro antiquis Bibliorum interpretibus Scholastici Doctores, Ecclesix obtrudebantur.

Exstincta erat vera Christi cognitio, sincerusque Dei cultus evanuerat: & innumera animarum myriades in ipsa Christianorum congregatione, populoque Dei, seu Ecclesia, cum aeternae salutis iactura, pessum ibant. Hic certe reformatore opus erat. Immensa ergo Dei misericordia, remedium huic pesti tandem adplicantis, excitatus est LUTHERVS, qui caelesti Spiritu illuminatus errores detexit, falsitates redarguit, mendas eluit, cunctasque Theologiae partes in antiquam, h. e. Prophetici & Apostolici sensus germanitatem vindicavit: exorsus à salutaris penitentiae doctrina, & ulterius ad veram peccatoris justificationem coram Deo; ad bona, h. e. digna iustificatis opera, ad genuinum Sacramentorum intellectum legitimumque usum; ad accuratissimum Legis & Evangelii discrimen, ad piam de magistratu & coniugio, ceterisque doctrinae locis assertionem, progressus. Brevique Deo gratiam eius operae fidelissimae adspirante, id effecit, ut ab aetate Christi & Apostolorum major verbi divini claritas in Ecclesia non effulserit.

Hic igitur est tertius Mundi Elias: qui Baalitas Romanos prostravit, ipsumque Baalem Pontificem, triplici diademate exutum, è folio deturbavit, sanamque colendi Dei rationem, ac directam salutis consequendae, per agnum Dei tollentem peccata Mundi, viam monstravit. Hic est Angelus ille Apocalypcticus: qui per medium caeli volans aeternam habet Evangelion; quo latissimum de gratuita peccatoris justificatione, aeternaque salute, credentibus in Christum obtinenda, incolis terrae, per omnes gentes, tribus, Lingas & populos (inter quos praecipui nos Germani) nuncium pertulit. Hoc est insigne illud Dei meritum: quod ex te, Academia Viteberg, tantus heros ex ortus est, quantum Ecclesia Christi, post Ioannem Baptistam, & Apostolum Tarsensem, inter doctores suos, neque vidit haecenus, neque posthac videbit.

Pro-

Proximum huic (ut perpetuo aliàs conjunctum) est, quod literas & Artes Philosophicas in hac Academia efflorescere Deus voluit. Vbicunq; enim doctrina cœlestis purè sonat, ibi Linguarum & Artium studia, fatali quodam temperamento, florere etiam necesse est. Iam olim sanè disciplina liberalis, unà cum religione Christi, in Germaniam introducta erant, & pulchrè ad tempus viguerant. Ac propterea Scholæ passim in collegiis primum sacerdotum, deinde in Monachorum Cœnobiis, Caroli M. eiusq; successorum, & aliorum Principum liberalitate ac prudentia, institutæ fuerant, ut tituli Decanorum, Scholasticorum, Lectorum, & id genus alii adhuc reliqui, testantur. Sed has partim luxus, partim superstitio, abrogarat. Necessaria igitur etiam hac in parte fuit reformatio.

Hanc Deus per Philippum, ut Organon ad hoc unice destinatum, effecit. Hic enim totum Philosophiæ corpus, spinosis antea disputationibus intricatum, divina ingenij solertia explicandum, & cum studiosa juventute communicandum, sibi proposuit. Initium igitur fecit à Linguis & Artibus dicendi. Cumq; sine mediocri Linguarum cognitione nihil in Philosophiæ studiis profici queat; sed omnis opera hinc ludatur: in hoc potissimum elaboravit, ut cum lingua Romana Græcas literas propriè ac perspicuè doceret. Ad quod fideli Auctorum Sapientiss. interpretatione, ac perpetua scribendi declamandiq; exercitatione, tanquam necessariis adminiculis, usus est. Deinde ex universa Aristotelis Philosophia illa decerpit, quæ usum in vita communi haberent. Quæ in re Methodica docendi ratio plurimum ei adjumenti præstitit. Sic post Artium dicendi Epitomas, Physicæ atq; Ethicæ utilissima præcepta in juventutis commodum selegit, hoc equidem consilio, ut rudimentis hisce ac veluti tirociniis præparati discipuli, ipsas Aristotelis & cæterorum Magistrorum Scholas, uberiore cum fructu adirent.

Pecu-

Peculiarem etiam & primariam in hoc operam dedit, ut Astronomiæ & Mathematicum studia excolerentur. Quæ huius viri potissimum industria eximios fecere progressus, & in omnes orbis partes se prolatarunt. His tantis negociis licet occupatiss. esset, interim tamen præclaram Theologiæ operam navavit. Strenuum namq; Lutherò *σωτηριον* sese præbuit.

Qui per hunc, ut Moses per Aaronem, plurima & maxima tum domi tum foris negocia, in conventibus imperij & colloquiis expedivit. Duo verò inter opera eius Theologica maximè excellunt, Augustanæ confessionis formula, præcunte Lutherò ab illo scripta, & Loci communes Theologici; Quos ipse Lutherus paulo ante obitum tantopere Ecclesiæ commendavit. His jam commemoratis Dei beneficiis, tanquam Corollarium, perorationis loco adijciemus, etiam Coloniarum, ex Academia Viteberg. in has & alias terras, deductionem: Quod enim Homerus de Oceano scribit. Hinc omnes currunt fluvij, Pelagusq; redundat Quodlibet, hinc fontes & stagna ingentia manant: Id de Viteberga non absurdè prædicari potest. Quæ enim Ecclesia per totam Europam reformata est, quæ redaccentam veritatis divinæ lucem Academia nostræ se debere non fateatur? Quicquid ubiq; est Evangelicæ puritatis, ex hoc quasi fonte limpidissimo scaturit. Convertite mecum oculos in omnes Mundi plagas, & veram me affirmare contestabimini. Omnes, inquam, Ecclesiæ reformatæ hanc suam Metropolin agnoscunt & venerantur.

Quid de Scholis dicamus? Sapiens olim vetustas de Schola Græciæ, in Parneaso à Perseo condita; unde studia bonarum Artium per totam Græciam fuerunt propagata; hunc sermonem divulgavit: Quod Persei Equus Musis in Helicone fontem unguis suæ fodicatione aperuerit, qui Sapientiæ & Eloquentiæ rivos per terras longè lateq; diffuderit: unde poëta,  
(Sic

( Sic doctos olim vocabant ) inebriati, præclara ingenii opera ediderint. An non hac imago est Academia, Scholarum parentis? Pietas equidem & Sapientia FRIDERICI Electoris, in hoc candido Musarum monte, salutarem doctrinæ cœlestis Artiumque scaturiginem elicuit: quæ Scholas, veluti rivus per cunctas Germaniæ regiones de se largissimos, profudit; Adeò ut Germania, patria nostra dulcissima, tantum non voce suâ liquidissimè hæc iam proclamet. Quod ubique nunc Ecclesiæ incorruptum Dei verbum mihi resonant, id tuum, Viteberga, filia mea carissima, beneficium est. Quod ab initio religionis instauratæ huc usque fidelissimis Mysteriorum cœlestium dispensatoribus abundo, Tibi, mea Vitemberga, post Deum, unice adscribo. Et cui Scholas ubique probè constitutas debeo? Tibi, Academia Viteberg. Vnde mihi tot viri, in omni doctrinarum genere clarissimi, prodierunt? Ex te, Academia Viteberg. Idcirco quousq; reformatæ religionis iubar serenissimum perpetuo se dilatat, & quocunq; eruditæ doctrinæ fructus exuberat, eo se tua simul gloria extendit. O beata filia, quæ matrem Germaniâ tanta commodorum fertilitate beas! Celebrent Græci veteres suam Hippocrenen: iactent suos Ægyptii sacerdotes; venditent se Persæ Magis; Assyrii Chaldæis, Indi Gymnosophistis; Galli Druidibus suis gloriantur: Tui, Viteberga, doctores illis omnibus antecellunt. Sis igitur salva, mea Vitemberga: salvi sint Principes tui *θεόπνευστοι & θεήλατοι*: (divinitus afflati & excitati:) qui te tam fideliter amant, tam benignè fovent, tam constanter proregunt, ac velut in sinu gestant, oculisq; cariorem habent. Ex tuo enim flore sperata mellis: Ex tua celebritate certa & insignis gloria: ex tua salute incolumitas perpetua (quatenus per Christi & Musarum hostes, Pontificios, aliosque sectarios licet) mihi parenti tuæ redundat.

Germaniæ acclamationem habemus. Quis ergo de tanta matris felicitate, sibi ut filius & hæres, non ex animo gratuletur

tur


tur & exsultet ? nisi qui ingratum ac degenerem se eius filium, aut verius cuculum, ipso facto declarare velit.


Hæc ergo sunt divinæ benignitatis munera, per Serenissimos Electores Saxonie, virosq; Dei incomparabiles, Lutherum & Melancthonem, Academia VVitebergensi, & hinc toti Reipub. Christianæ, erogata, non minoris profectò aestimanda, quam olim per Moysen & Aaronem præstira Israelitis.

Nostrum igitur est, ante omnia Deo Gratiarum vota piè exsolvere, Illustris. Principum Saxonie beneficentiam perpetuo celebrare, & Academiam Vitebergensem, ut Pietatis & Artium Philosophicarum inſtauratricem, & propagatricem, debitis reverentiæ & *εὐλογίας* officiis ptoſequi, eiq; felicissimam perpetuò sortem impre cari.

D I X I.







Gilb

33833

1280-

**Sammelband.** 33 Schriften zur Reformationgeschichte, darunter 10 die „Confessio Augustana“ betreffend. Altdorf, Frankfurt/O., Greifswald, Halle, Helmstedt, Jena, Jüterbog, Kopenhagen, Leipzig, Stargardt, Stettin, Wittenberg, zwischen 1592 u. 1731, 4to. Zus. ca. 1450 Ss. Mit einigen Holzschn. u. Druckermarken. HLdr. d. 18. Jh. (bestoß., Rück. läd.). 1280,—

Sehr interessanter Sammelband, meist Akademieschriften, zur Geschichte der Reformation, besonders zum „Augsburger Bekenntnis“, dessen 200jähriges Jubiläum eine große Anzahl von Würdigungen und Untersuchungen hervorgerufen hat. Zu den Autoren zählen A. C. Bauer, St. Besecenius, C. A. Bürger, Dan. Cramer, H. Ch. Crellius, P. Dolscius, G. Dünnebier, P. J. Eckhard, C. T. Rango, L. Rhodomanus, Nic. Selnecker u. v. a. Eine größere Zahl der Schriften sind sowohl Schottenloher als auch sogar Hammer (Melanchthonforschung) entgangen. — Bei 2 Schriften fehlt je 1 Blatt, teils gebräunt, einige alte Eintrag. — Genauere Angaben auf Wunsch möglich.

STMGRI

Lederriemen, Eichen, neu  
Überapparat angebracht

4/187/10

